



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

Euagrij de octo vitiosis cogitationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](#)

A 
E V A G R I I A D A N A T O
L I V M D E O C T O V I T I O S I S
C O C I T A T I O N I B V S .

B  **Q**uo summa vitiosarum cogitationum genera sunt, sub quibus omnis cogitatio continetur. Prima est gula, secunda libidinis, tertia avaritia, quarta tristitia, quinta ira, sexta desidia, septima inanis gloria, octaua superbia. Haec autem omnes, ut animae negotium facessant vel non facessant, in nobis haud aquam situm est: ut autem in ea moram trahant vel non trahant, aut perturbationes excitant vel non excitent, id vero nostri arbitrij ac potestatis est.

Gula cogitatio monacho in mentem immittit, vt quam celerrimè à colendæ *De gula*, pietatis in studio desciscat, stomachi nimirū & hepatis, & splenis dolores, & hydropisim, & diuturnum morbum, & rerum necessiarum penuriam, ac medicorum inopiam ob ipsius oculos depingens. Quin perspè quoque memoriam quorundam fratrum nobis refricat, qui in hac incommoda inciderunt. Atque interdum etiam eos ipsos, qui eiusmodi incommodis affecti fuerunt, inducit, ut continentia studiosos adeant, suisque calamitates ipsis exponant, seque eas ex monasticæ vita asperitate contraxisse afferant.

C Libidinis dæmon variorum corporum desiderio animas infiammat, acriusq; *De libidin*, eos, qui continentia student, vrget: quod nimirū tanquam frustra laborantes, institutum suum abrumpant. Atque animam inficiens, & dicere & rursus audire verba facit, non secus ac si res ipsa cerneretur, ac præstò esset.

D Avaritia longam senectutem, manūlīque in conficiendis operibus imbecilitatem, & famem futuram, & morbos euenturos, ac paupertatis molestias animo proponit: illudque præterea, turpe ac probrosum esse, ea, quæ necessaria sunt, ab aliis accipere.

E Tristitia nonnunquam hinc oritur, quod quispiam cupiditatibus suis priuatur. Nonnunquam rursus iram comitatur. Ob priuationem itaque cupiditatum ita oritur. Cogitationes quædam primū, & domum, & parentes, ac pristinam vitæ rationem animæ in memoriam reuocant. Cumque eam, non repugnantem, sed obsecundantem, atque in voluptatibus cogitatione conceptis feso diffundent perspexerint, tum demum arreptam eam mœrore obruunt: tanquam videlicet pristinæ res non iam existant, nec deinceps, ob præsentis vitæ institutum, extinguere queant. Sic misera anima, quod magis in priores cogitationes diffusa est, hoc eam magis in secundis contrahitur ac deiicitur.

Irracundia, acutissimus ac rapidissimus affectus est. Siquidem indignationis *De ira*, feroꝝ & concitatio est aduersus eū qui læsit, aut læſisse videtur. Haec porrò cùm alias semper animam in rabiem agit, tum præsertim inter precandū mentem abripit, nimirū eius qui læsit personam velut sub oculis collocans. Interdum etiā, cùm inueterauerit, atque in iram mutata est, noctu tumultus ciet, corporisque tambem & pallorem ac ferarum incursiones. Haec autem quatuor, quæ post iram contingunt, quamplurimas cogitationes comitari quispiam reperiatur.

Desidia dæmon, qui etiam meridianus vocatur, dæmonem omnium grauisimus est: ac monachum sub horam quartam aggreditur: animam autem ipsam *Depigritia*, ad horam usque octauam obsidet. Ac primū quidem id facit, vt Sol torpidus aut etiam omnis prorsus motus expersus esse, ac dies ipse quinquaginta horis constare videatur. Deinde, vt perpetuò ad fenestras monachus prospectet. Quin cum quoque ex cella exilire cogit, atq; oculos in Solem defigere, ac perpendere

EVAGREI AD ANATOLIVM,

quantum ab hora nona distet: ac denique, huc etque illuc circunspicere, num quis fratrum adsit. Quinetiam loci, atque adeo ipsius quoque vita, operisque manus odium ipsi iniicit. Ac preterea eum huc adducit, ut charitatē apud fratres defecisse credat, nec quemquam esse, cuius consolatione subleuctur. Quod quis etiam eum per hos dies molestia quadam afficerit, odij incrementum dæmon adiicit. Atque insuper eum ad aliorum locorum cupiditatem impellit, in quibus, & quæ opus sunt, facile nancisci, & faciliorem artem, quæque ipsi felicius succedat, consecutari queat. Illud etiam adiungit, ad hoc ut Deo quis placeat, nihil interesse quo loco degat: passim enim diuinum numen adorari posse. Cum his autem propinquorum quoque, ac prioris vita generis memoriam coniungit. Tempus item vita longum informat, Deo consecratæ vita labores ante oculos ipsi collocans. Ac denique omnem, ut dici solet, machinam mouet, quod monachus cella relictæ stadium fugiat. Hunc autem dæmonem alius statim dæmon minimè sequitur: verum solitarius quidam status, atque omnem sermonis facultatem excedens lætitia post certamen animam excipit.

*De us.
gloria.*

Inanis gloria cogitatio subtilissima est, atque in eorum animis facilè nascitur, qui recte & ex virtute viuunt: eorum certamina perulgare studens, atque humanam gloriam aucupans, clamantesque dæmones, ac mulierculas morbis liberatas effingens, ac denique quandam, qui vestem contingat. Quin sacerdotium quoque deinceps auguratur, atque homines, à quibus queratur, ad fores colligat: quodque nisi sponte cedat, vincetus abducetur. Atque eo ad hunc modum inani spe in altum sublatò, discedit, vel superbia vel tristitia dæmoni tentandum iam eum relinques: qui quidem ipsi cogitationes ipsius spei aduersantes obiicit. Interduum etiam eum, qui paulò ante venerandus ac sanctus sacerdos erat, libidinis dæmoni exagitandum tradit.

*De super.
bia.*

Superbia dæmon acerbiissimum animæ lapsum accersit. Ipsam enim adducit, ut Deum adjutorem minimè confiteatur, verum sibi ipsi, quæ recte ac præclarè gerit, ascribat, atque aduersus fratres ut vacordes ac stolidos intumescat: quod videlicet idem de se non omnes existimant. Hanc autem sequitur ira, mœror, ac, quod postremum malum est, mentis alienatio, & furor, atque, copiosa dæmonum multitudine, quæ in aëre conspicitur.

*Quibus re.
bus Dei be.
nevolentia
conciliatur.*

Quinque sunt opera, quorum adiumento Dei benevolentia conciliatur. I Primum, pura oratio. Secundum, Psalmorum decantatio. Tertium, diuinorum spiritus oraculorum lectio. Quartum, peccatorum, & mortis, ac magni iudicij cum animi dolore recordatio. Quintum, manuæ labor.

*Chrys. de
Orat.*

Si in corpore tanquam corporis expers Deo inferire cupis, cura ut sine villa intermissione precationem occulte in pectore tuo habeas. Sic enim anima tua ante mortem ad angelorum similitudinem accedit.

Quemadmodum corpus hoc nostrum anima remota mortuum ac fœtidum est: sic etiam anima, quæ ad precationem torpet, mortua & misera ac fœtida est. Quod autem quavis etiam morte acerbius existimandum sit oratione priuari, præclarè nos docet Propheta Daniel: quippe qui prius duxerit mori, quam vnde hora momento precatione orbari.

Naz.

Dei crebrius recordari, quam spiritum ducere oportet.

Ad omnem anhelitum animi vigilantiam & nomen Iesu, & mortis meditationem atque humilitatem adiunge. Ingentem enim ambae utilitatem afferre consueuerunt.

Fac sermonem de Deo frequenter quam cibos repetas.
Da operam ut crebrius Deum in mente habeas, quam spiritum ducas.
Deus mente comprehendi non potest. Nam si in comprehensionem cadit, Deus certè non est.
Vis à Deo cognosci? Fac hominibus quam maximè sis ignotus. Si illud semper memineris,

DE OCTO VITIOSIS COGITAT.

A memineris, rerum earum omnium, quas vel animo, vel corpore geris, inspectorem Deum esse, in nulla omnino actione peccabis: Deumque contubernalem habebis.

Nomo nulla re proprius ad Dei similitudinem accedit, quam bene de aliis merendo. Illud tamen in beneficiis dandis cauendum est, ne ea velut quæstui habeamus.

Deus nullius ope eget: sapiens autem D^o duntaxat opus habet.

Deo dignum te istud demum reddet, si nihil ipso indignum committas.

Deum tum denique præclarissime colueris, cum mentem per virtutem ad ipsius similitudinem expreßeris. Sola enim ea animam ad id, quod ipsi cognatum est, trahit.

Honestes tum demum meliores efficiuntur, cum ad Deum appropinquant.

Sapiens homo, Deo cultum ac venerationem adhibens, ab eo cognoscitur.

Ac proinde nihil sua referre putat, etiamsi ab omnibus ignoretur.

Prudentia munus in hoc consistit, ut eam animi partem, in qua iracundia existat, ad internum prælium conferendum incitet. Sapientia autem, ut rationem ad exactam perpetuamque vigilantiam impellat. Iustitia vero, ut partem eam, in qua libido sita est, tum ad virtutem, tum ad Deum dirigat. Fortitudinis denique, ut quinque sensus gubernent atque cohibeat; ne per eos, vel internus noster homo, hoc est animus, vel externus, hoc est corpus, spurcitem villam contrahat.

Definitio animæ.

C Anima est viua, simplex, & corpore vacans, atque ab oculorum sensu remota substantia: immortalis item, & ratione ac mente praedita. Quemadmodum enim oculus in corpore: sic mens in anima dominatur.

Quæ sub coelo sunt, ac ratione vntuntur, partim pugnant, partim propugnant, partim oppugnant. Pugnant enim homines: propugnant angeli Dei: oppugnant impuri dæmones. Quamobrem nec propugnantium penuria, nec oppugnantium viribus, sed pugnantium sociordia fit, ut rerum diuinorum atque ipsius Dei cognitio in nobis deficiat.

Quod propriè malum est, substantia non est, sed boni priuatio: Quemadmodum etiam caligo nihil aliud est, quam lucis absentia.

D Parum cauta ac prouida est simplicitas: minimèque malum suspicatur, qui à malo liber & immunis est.

Sanè ratiocinationis omnis expers est improbitas, neque villa est ratio, qua flagitosos homines ad meliorem mentem quisquam reducat.

Deus malorum nullo modo est author, vt potè natura bonus.

Animæ puræ ac diuinæ ad deprehendendum diabolum mirè perspicaces sunt, quantumvis alioqui callidus in primis atque ad impetendum versutus fit.

Nulla omnino re Deus perinde conciliatur, ut corporis afflictione.

Sagax atque ingeniosus est, quisquis premitur.

Ait quidam sanctorum Patrum, quod qui duram & asperam monachorum vitam fulciperne nequeunt, alia ratione salutem consequi possunt. Quandoquidem si Dei ope freti firmissimam erga monachos fidem habeant, eosque cohortentur atque consolentur, omniaque, quæ opus sunt, ipsis subministrant, saluti suæ optimè consuluerint.

Noctem insomnem in opere transige: ut mox in anima tua consolationem inuenias.

In lectione tranquillo animo persta: quod mens tua admirifica Dei opera perpetuò tanquam porrecta manu ducatur.

Diurni somni, corporis molestiam, vel animæ anxietatem, vel inertiam, vel imperitiam indicant.

Quæuis anima per Spiritus gratiam, ac propriam industriam & diligentiam hæc inter se copulare atque connectere potest, nimirum sermonem cum mente,

S A N C T I N I L I

actionem cum contemplatione, virtutem cum doctrina, & fidem cum cognitione ab omni obliuione libera: & quidem ita, ut nullum ex iis altero vel minus, vel maius sit, sed omnis tum excessus, tum defectus circunferatur, atque ipsa, ut breui perstringam, unitatem suam esse decuplet. Nam tum ipsa Deo vero & bono & duntaxat vni copulabitur.

Octo sunt cogitationes, ex quibus vitium oritur: iis nempè, qui solitariam, vitam consequuntur, cogitatio acedia, iranis gloria, superbia, avaritia, tristitia. His item qui sub aliorum imperio degunt, gula, ira, & fornicationis.

S A N C T I N I L I D E O C T O VITIOSIS COGITATIONIBVS.

De Nilo Distichum.

*Arua rigat Nilus fluminis: sed peccatora sermo,
Ex monachi Nili qui flagit ore, rigat.*

D E G V L A.

DE OCTO vitiosis cogitationibus, seu affectionibus, scribere instituentes, hoc est gula, fornicationis, avaritia, ira, tristitia, acedia, inanis gloria, & superbia, prius de ventris continentia, à qua gulam quoque, ut aduersariam, inter noscere proclue est, verba faciemus. Patres itaque non vnam ieiunij regulam, neque vnam & eandem percipiendi cibi formam & mensuram prescriperunt: quod videlicet, vel ob ætatem, vel ob imbecillitatem, vel denique ob quandam corporis habitum, non omnes eodem labore sint. At verò vnum omnibus scopum proposuerunt, nimis ut ingluuiem fugerent, ac saturitatem auersarentur. Vnius porrò diei ieiuniū utilius esse censuerunt, quam illud, quod ad duos, aut tres, aut quatuor dies, aut etiam usque ad hebdomadam integrā protrahitur. Aliunt enim, eum qui in diem ultra modum protendit, ultra modum etiam frequenter cibis vti: hincque fieri, ut interdum quidem ob immodicam inediam corpus satiscat, atque ad spiritualia munia obeunda segnior reddatur: interdum rursus, alimenti copia depressum, animam ad acediam, languidamque mollitiem ducat. Ac deinde olerum usum non omnibus conuenire dixerunt, neque item omnibus leguminū usum, nec seci panis alimentum. Quin aliud quidem, duas panis libras comedentem, fame laborare dixerunt: alium rursus semilibra vna satiari. Illud tamen omnes in vniuersum admonuerunt, ne ventris saturitate sese decipi, nec faecium voluptate præcipites abripi paterentur. Neque enim ciborum quantitas duntaxat, sed etiam qualitas ignita libidinis tela excutit. Siquidem ex quo quis cibi genere venter ingurgitetur, passionum flammarum exercitare consuevit. Ac rursus non solum vini crapula, sed etiam aqua ad saturitatem hauita, mentem temulentam reddit. Atque, ut uno verbo dicam, omne cibiac potus genus, quod modum excedit, soporem ac veternum efficit. Sanè ciborum usus ad tuendam duntaxat vitam adhiberi debet: non item ut cupiditatibus serviamus. Is porro, qui corpori, non tam quæ voluptas expetit, quam quæ necessitas poscit, subministrat, nullum ad continentiam adipiscendum detrimentum patientur. Decretum autem ac regula continentiae antiquitus a Patribus tradita, eiusmodi est, ut qui cibum sumit, vigite adhuc appetitu ab eo absistat: nec tantisper expectet, dum satur sit. Sed & Apostolus, cum his verbis usus est, Carnis curam ne feceritis in desideriis, non necessariam vitæ gubernationem prohibuit, sed libidi-

Rom. 13.